

fœniculi an. 3ij.  
folior. senæ mundat. 3f.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad  
3iiij. In quibus dissolue Electuar. diaxarthami  
& diaphœnic an. 3ij. aq. cinamom. destill. sine  
vino 3f. Misce. fiat potio.

Tandem Emplastrum aliquod adstringens  
applicui, & subligaculum adaptavi. Sic divino  
fauore grauissimo hoc, periculosoque affectu  
liberatus fuit.

## EXEMPLVM II.

JOHANNES HOFF. Grammateus Hildene,  
Compater meus plurimū honorādus, à mul-  
tis annis Enterocèle grauissimè vexatus, cùm  
Anno 1595. in itinere aliquo modo defessus, in  
terrā somni capessendi gratia decumbens, ob-  
dormiisset, intestinum ad magnitudinem ferè  
capitis infantis in scrotum prolapsum est, quod  
quià illicò repositum non fuerat, ab aëre tūm  
temporis satis frigido in ipso scroto frigefactū  
& inflatum est. Hinc dolore exorto, ipsóque à  
somno expergefacto, vix domum (à qua iter v-  
nius horæ aberat.) præ maximo cruciatu redire  
potuit. Ego ad illum accersitus, ipsum quasi se-  
mianimen, cum animi deliquiis, vomitionibus  
frequentibus, iisque fetidis, offendit. Dolores  
item tam maximi, tamque frequentes aderat,  
ut subinde sese ex una in alteram lecti partem  
iactare, coactus esset. Statim itaque suprascri-  
ptum Enema exhibui, & sacculum loco affe-  
cto applicui. Postea pedibus eleuatis ca-  
pitēque declivi posito, intestinum felici-